

# DOMINO HEN- RICO PRINCIPI ILLV-

STRISSIMO, INVICTISSIMI

Regis Emanuelis filio, Cardinali & Archiepiscopo amplissimo, haereticæ prauitatis supremo in Lusitania Inquisitori integerrimo, Frater Hector Pintus Lusi-

tanus salutem & æternam  
felicitatem.

Ogitanti mibi sæpen numero clarissime Princeps, & varia hominū studia in memoria vero sancti, illi felices maximeq. laudabiles videtur, qui omnes suas actiones in Deum referunt, totosque se in optimæ vitae statu exquirendo & consequendo collocarunt. Intelligentes enim mundi gloriam, potentiam, & opes, ad quas plerique mortales auiditate inflammati aspirant, non esse in rebus expetendis & præclaris numerandas, quippe cū eas caducas & incertas aspirant, virtutem amplectuntur, quæ altissimis defixa radibus, neque potest incendio amitti, neque direptioni committi, neq. vlla temporū varietate labefactari. Inter omnes qui hunc felicē vitæ cursum cōficiunt, tu unus emines Princeps Christianissime, qui in insigni dignitate constitutus, rerumq. maximarum gloria præstantissimus virtutem mirabiliter seclaris. Omni enim humana superbia & arrogatio contempta, ad cælestia aspiras, & non solū tuos Lusitanos, sed alias etiam nationes, ad quas fama tua, nominisq. celebritas & splendor euolauit, usque adeo tua vita & exercitio instruis & deuincis, ut admirabilis illis quedam amoris in te & obseruantæ exardecat magnitudo. Est enim virtutis propriū homines allicere ad diligendū, cū ob illius amplitudinem eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus, eorumq. memoriam cum benevolentia & Veneratione usurpamus. Est igitur ea vita foelix & expetenda, quæ non in falsa mundi gloria nititur, sed in virute diuiniq. numinis imitatione consiliit, ex qua verus honor minime contemnēdus

A 2 dīmanat.

## EPISTOLA.

dimanant. Quod tu intuens illustrissime Princeps eas opes  
 ardenter queris, quæ animum amplifcent, ex quibus intel-  
 ligis, posse veram gloriam redundare. Tu es recta iustitiae  
 dulcissime pacis conseruator. Ad te tanquam ad singulare  
 praesidium configunt afflitti. Te omnes intuentur, & pru-  
 dentiam atque virtutem tuam admirantur. Tu es unus in  
 quo nascitur Lusitanæ salus. Quid plurac! Tu es vere prin-  
 ceps Christianus. Hæc est vera gloria, & illustris nominis  
 claritas & amplitudo, quæ vigebit memoria omnium secu-  
 lorū, quā posteritas alet, & ipsa perpetuitas semper intue-  
 bitur. Cui igitur nisi tibi debeo labores meos dedicare? Sed  
 ut meipsum plane cognoscas, ratione vitae meæ tibi paucis  
 exponam. Ego cum fuisset ab inueniente etate in literis La-  
 tinis versatus, & poste a nonnullis annos & Salmanticæ  
 & Conimbricæ iuri ciuili operam dediſsem, coepi meū cogi-  
 rare, esse illum vitæ statum, ad quem ego aspirabam, multis  
 atque turbulentis negotiis oppressum, & infinitis animi pe-  
 riculis expositum. Versabatur mihi ante oculos illa Dei no-  
 stri sententia: Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius  
 & hæc omnia adiicientur vobis. Et hæc in animo versans  
 existimabam, id quod erat esse religionem rectam viam ad vitam  
 immortalē consequendam. Eam ob causam ingressus sum or-  
 dinis D. Hieronymi, ubi viget solitaria quædā tranquillitas,  
 & religionis obseruatio. Et interfluxis nonnullis annis mis-  
 sus à primato meo totius ordinis moderatore ad ordinis col-  
 legium, tanquam ad bonarū artium mercaturam, mea stu-  
 dia longo interuerso intermissa reuocavi. Ibi oculo continuos  
 annos audiē & ardenter dedi operam literis, in quibus totū  
 cursum & philosophia & theologie sub excellentibus pre-  
 ceptoribus virtute & sapientia præstantibus perfeci, &  
 triusque linguae Græca & Hebraica notitiam cōparavi.  
 A collegio reuersus ad monasterium, unde profectus fuerā,  
 quantū potuī me abduxī ab omni negotio humano, totūq.  
 me dedidi studio diuinarum literarum. Et consideranti mi-  
 bi, atque sc̄e numero memoria repetenti prophete Esaie  
 virilitatem, magnificentiam & amplitudinem, esseque eius  
 expositores paucissimos, eosque breuissimos, eumq. multis  
 in locis indigere explanatione, oriebatur desiderium quod-  
 dam

dam eius explanandi. Sed cum eius profunditatem, meique  
ingenij imbecilitatem perspicerem, caderam animo equidem  
longeque ab scribendo abhorrebat. Est enim diuina scriptura  
liber illi molitus, quem vidit Ezechiel scriptum intus Ezech. 2.  
& foris: foris, propter sensum in primo & aperto oratio-  
nis argumento apparentem: intus, propter spiritualem in-  
telligentiam, & alta atque diuina mysteria. Eam ob causam  
autem Gregorius Nazianzenus fuisse legis tabulas ex utraq.  
parte scriptas. Et celestis ille magister Christus Deus no-  
ster, Scrutamini, inquit, scripturas, significans non sat esse  
eas legere, sed opus esse earum arcana & profunda myste-  
ria altè perspicere, & diligenter investigare. Quam ob cau-  
sam eas thesauro abscondito comparauit. Et quemadmodum Matt. 12.  
Hebreos se in promissam terram conferentibus, & foede-  
ris arcum secum asportantibus se obiciiebat Iordanis, im-  
pediens illis ingressum: sic mibi ante oculos ponebatur hu-  
ius diuini vatis difficultas. Sed quod me terrebat, id ipsum  
mibi animum excitabat. Intuebar enim Deum illis magnū  
illum fluuium aperuisse, & viam mirabiliter parasse: quo  
fretus speram fore, ut Deus sui prophetæ sensum mihi ape-  
riret, quo Valerem illum securè penetrare. Sciebam Davidem  
dicere in Psalmo, esse legem Domini immaculatā animaq.  
Psal. 18.  
conuertentem: & Apostolum Paulum in epist. ad Rom. eā Rom. 7.  
sanctam & spiritualem appellare. Cum autem ego mēipsū  
peccatorum maculis inquinatum cognoscerem, qui fieri po-  
test, ut auderem ad diuinarum literarum interpretationem  
contaminatis manibus accederem: Si ergo a fuit à Deo percus-  
sus quod arcum, in qua lex fuerat recondita, tetigisset, ut li-  
teræ diuinae contestantur, quas poenas esse ego meæ teme-  
ritatis datus, si non arcum, sed ipsam sanctam scripturam  
attingerem, & explanare contendarem: At ex altera parte  
videbam ipsam scripturam ita in Ecclesiastico dicentem:  
Eccle. 24.  
Qui elucidant me, vitam eternam habebunt. Hæc erant quo  
versabant in deliberando meum animū, illique afferebant  
anticipem curam cogitandi. Sed illis circumspectis & explo-  
ratis, facta summa omnium mearum cogitationum, decre-  
xi tandem diuino favore implorato, hunc diuinum vatem  
aggredi, sperans Deum me in hoc opere pro eius honore su-  
2. Reg. 6.  
1. Para. 13.

scepto adiuturum. Sequor communem versionem ab ecclesia approbatam, & in fine viiuscuiusque capituli adiicio ex Hebreo nonnullas annotationes. Vaticinatus est Esaias in Iudea, non solum ante Babyloniam, sed etiam ante decem tribuum captiuitatem. Est eius præcipuum institutum præ dicere nostræ fidei mysteria, præsertim Christi Dei nostri aduentum, & acerbissimam mortem, vocationem gemitum, & veteris legis sacrificiorum abrogationem. Ut enim qui vult aliquam conflare campanam, prius efficit formam quædam luteam, eam ingeniosè vertendo & versando: sed conflato tintinnabulo, forma reiicitur & frangitur, & pedibus conculcatur, quippe quæ solum ad tintinnabuli usque completionem erat profutura & duratura, sic effecturus Deus ecclesiam suam, quæ est admirabilis quedam campana, totum orbem terrarum sonitu suo adimplens, instituit prius antiquæ legis ceremonias & sacrificia, tanquam formam luteam, quæ non nisi ad ecclesiæ usque formationē durarent. Ecclesia autem constituta, Euangeliōque nuntiata, omnia illa vetera sacrificia fuerant reiecta & finita, & pedibus cōculata. Habet enim lex umbram futurorum honorū, ut ait in epist. ad Hebreos D. Paulus, non ipsam imaginem rerum. Et ad Corinthios scribens illa omnia asserit Iudeis in figura contigisse. Euit hic prophet a nobilis, & vt ait, frater regis Amasis, tanta eloquentia prædictus, tot sapientiae ornamenti excultus, ut omnes alios prophetas dicendi copia & amplitudine, mea sententia, facile vincat. Flagravit tanto studio veritatis nuntiande, ut pro ea à rege Mannasse, qui se scelerum ministrum præbuerat, & in republica violanda teterrimas fraudes conceperat, fuerit interfactus. Cui igitur eram dedicatur prophetam, qui fuit princeps illustrissimus, virtutumq; præfatio septus, nisi alteri primo cipi similiter clarissimo, virtutumq; maximarum abundantia cumulatus. Quare princeps Christianissime hoc exiguum munus, quod tibi dicare constitui, ut meam erga te incredibilē pietatem ostenderem, pro tua singulari humanae nitate velim benignè suscipias. Vale.

simile.

Hebr. 10.